

differentia specie, à quibus dicitur denominatiue differens specie, & differens numero: & sic est abstractum: sicut quando est nomen primæ intentionis. Hoc videtur probabile: quia differens specie est vniuocè in omni genere: ergo est denominatiuum intentionale. Si militer differentia diffinita sic: qua differunt à se singula: reperitur in omni genere: quia tantum diuersificatur per materiam accidentalem: ergo & differens cōcretiue dictum, quod ponitur in eius diffinitione: nō est enim diffinitio, nec descriptio conueniens, nisi conuertatur cum diffinito, vel descripto: ergo aliquo modo est differentia abstractum, & nomen secundæ intentionis, à quo possit denominatiue dici differre: vt est intentionale. Tunc ad argumentum concedo, quod differentia differt ab alijs vniuersalibus diffinitione, & specie: nec significatur idem per subiectum, & prædicatum sub disparatis rationibus.

Contra: videtur, quod differentia, vt est vniuersale, sit abstractum: tum quia est, qua differunt à se singula; per quartam diffinitionem: quo enim aliquid est album, illud est albedo. Tum etiam quia si sit concretum & denominatiuum: à quo abstracto dicitur denominatiue? videtur quod à nullo.

Ad primum dico: quod diffinitio sic intelligi debet: differentia est; qua, non vt forma informantè, vt est de albedine; sed qua, vt intentione applicabili ad principium differentie specie, singula differunt à se differentia specie: quia differre denominatiue dicitur de differentia, vt est relatio rationis.

Ad aliud dico: quod eius abstractū non significatur vno nomine: sicut nec abstractum generis, speciei, & accidentis, vel proprii: quæ omnia, constat, esse concreta: sed potest exprimi pro circumloquutione sic: intentio differentie: & illud non prædicatur de rationali.

Iuxta dicta potest dici: quod multum, cum omnibus speciebus suis: & ita vnum per oppositum, possunt æquiuocè esse res, vel intentiones: primo modo loquitur de eis Metaphysicus: secundo Logicus: & sic facilliter saluatur eorum vniuocatio in omni genere: tamen in quid potest esse æquiuocum ad plu-

ra specie, & numero: saluatur etiam, quomodo pluribus non sit æquiuocum in diffinitione vniuersalis.

Summa textus.

Vlto, quod differentia potest diffinari: inquit Doctor, an secunda diffinitio eius, quæ illi potius, quam aliæ, prout vniuersale est, conuenire videtur: ut conueniens: partem negatiuam probat quæ argumentis, quæ tribus conditionibus bonæ diffinitionis, scilicet, quod diffinitio conueniat soli diffinito, & cuiuslibet eius inferiori, ita vt cum eo conuertatur: & quod nec sit superflua nec diminuta: & quod diffinitum à quocumque alio differre faciat: contraire intendunt: primum enim supponit differentiam esse vniuersale commune ad differentiam intermediam, & infimam: sed prædicta diffinitio tantum conuenit differentie intermediæ: ergo, cum non conueniat omni diffinito, iuxta primam conditionem, non est bona.

Secundum probat: diffinitionem excedere diffinitum: quia secunda intentio in abstracto nō potest prædicari de prima in concreto: sed differentia, vt hic diffinitur, est secunda intentio in abstracto, cuius concretum est ly differens: ergo eius diffinitio non competit sensibili, & alijs differentijs in concreto.

Tertium vult diffinitionem non conuenire diffinito: quia differentia non est relatiuum, sed relatio, quæ solum est ratio referendis; sed non refertur: si enim referretur ad aliud, esset processus in infinitum: & ultra quia non habet terminam, ad quem referatur: non enim refertur ad re primæ intentionis: quia relatiua sunt simul naturæ; & prima intentio est prior, quam secunda: nec refertur ad secundam intentionem: quia omnis secunda intentio habet suum proprium correlatiuum: ergo sequitur quod differentia est tantū relatio, & non relatiuum: sed in diffinitione hac, ponitur relatiuum, scilicet, dici, de, quod conuenit prædicatis, quæ sunt relatiua ad subiecta: ergo cum non relatiuum, diffiniatur per relatiuum, diffinitio hæc est vitiosa.

Quartum argumentum remouet tertiam conditionem: & supponit differentiam esse abstractum, & ly differens, vel differt eius concretum: ex quo sic: concretum non prædicatur de suo abstracto: ergo cum non possit recte dici: quod differentia differt per suam diffinitionem ab alijs, sequitur, quod non possit diffinari.

Quintum tandem argumentum reductiue tangit secundam conditionem: intendit enim hanc diffinitionem non adæquatè dicere essentialiter diffinito: aliter enim superfluerent reliquæ diffinitiones à Porphyrio traditæ: ergo, &c.

Pro decisione veritatis prænotat vnum nēpe, differentiam esse duplicem: alteram intermediam, quæ diuidit genus non vltimum, & constituit speciem subalternam: vt corporeum, vel sensibile: Alteram vltimam, quæ diuidit genus vltimum, & constituit speciem infimam: vt rationale

1. Argum.

Secundum

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Not.

gale

1. Conclus.

2. Conclus.

1. Argum.

nale quo notabili posito. Dicit primo, diffinitio hæc datur de differentia intermedia, non vero de infima, nec de differentia in communi: & est bona diffinitio. Prima pars probatur authoritate Porphyrij: & argumento primo. Secunda, & tertia pars manifestæ sunt: quia hæc diffinitio datur per prædicari de pluribus differentibus specie: sicut & species, cuius est differentia: vltima tamen differentia prædicatur de pluribus differentibus numero: sicut & species vltima, seu infima. Vltima tandè pars patet: quia habet genus, & differentiam, ac reliquas condiciones ad bonam diffinitionem requisitas.

Secundo dicit: differentia in communi sic diffinitur, differentia prædicatur de pluribus in quale: habetur ibidicci potest quod genus, & species, &c.

Denique soluit argumenta; & quasdam obiectiones, quibus volebat probare differentiam in intermediam, & infimam non habere distinctas diffinitiones: quia aliter essent distincta vniuersalia: ac per consequens vniuersalia nō erunt quinque tantum: de quibus solutionibus in Articulis videbimus: maxime difficilioribus.

ARTIC. I.

An differentia propriissima recte in intermediam, & infimam, diuidatur?

QVOD non videtur primo, nam ex hac diuisione sequitur esse plura vniuersalia, quam quinque: contra Porphyrium: ergo ad saluandam secundam diffinitionem, quam ipse dat de differentia propriissima, non debet ex eius mente talis diuisio assignari: hæc enim est ratio, propter quam assignatur à Doctore: sequellam probat: nam prædicari de pluribus in quale se habet ad has duas differentias: sicut prædicari in quid ad genus, & ad speciem: sed prædicari in quid contractum per ly differentibus specie, & ly differentibus numero, constituit duo vniuersalia: genus, scilicet, & speciem: ergo prædicari in quale per ly differentibus specie, & differentibus numero, contractum constituet alia duo vniuersalia: ac per consequens differentia in intermediam, & infimam; quæ pro differentibus specie, & differentibus numero, constituuntur, sunt duo vniuersalia: si enim hæc duo respectu, quid, duo vniuersalia constituunt; quare non respectu quale?

Dices: quod istis duabus differentijs datur vna ratio communis: scilicet, prædicari de pluribus in quale essentialiter: quæ est diffinitio differentie in communi: & ita hæc duæ differentie sunt duæ species vnius vniuersalis.

Contra: illi diffinitio eis communis est æquiuoca: ergo non erit vna; & sufficiens ad vnum vniuersale constituendum: antecedens probat: quia sicut ly vnum est æquiuocum ad vnum numero, & ad vnum specie, ex 5. Metaph. capi. de

vno: ita ly plura erit æquiuocum ad plura specie, & ad plura numero: quia quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum: ac per consequens talis diffinitio data per plura differentia specie, & numero, erit æquiuoca: ergo non vna: ergo non conueniens vtrique differentie: ergo quælibet habet diffinitionem in nullo cum aia conuenientem: ergo sunt duo vniuersalia ab alijs distincta: ergo intentum primi argumenti.

Secundo principaliter arguitur: ad tuendam hanc diffinitionem secundam differentie esse bonam; non est talis diuisio necessaria: ergo propter hoc male à Doctore assignatur: antecedens probat: differentie istæ tantum numerice distinguuntur: vt supra de genere infimo, & subalterno, diximus: etiam ex mente Doctoris: sed indiuiduum non diffinitur ex 7. Metaph. ergo diffinitio hæc non datur de differentia intermediam: ergo de differentia in communi: ergo ad talem diffinitionem saluandam, male ad istam diuisionem recurrit Doctor.

Pro intelligentia notandum, quod secundū doctrinam Doctoris in solutione ad secundam, tertium, & quartum, differentia est nomen primæ intentionis, vel secundæ: primo modo est relatio inter differens, & differens, seu distinctio inter illa: & vt sic, est species multitudinis: sicut diuisio, & diuersitas: & vt sic, est abstractum, cuius concretum est ly differens: & per hoc soluitur secundum argumentum Doctoris. Secundo vero modo adhuc æquiuocè significat: vno modo est quoddam concretum intentionale applicabile multis: videns enim intellectus omnes differentias à parte rei conuenire in hoc: quod esse facere differre format de illis conceptum communem, quo comparato ad illa, de quibus à parte rei tales differentie prædicantur, resultat relatio rationis in illo, qua in esse concreti intentionalis constituitur: dicens pro formali talem relationem; & pro materiali proximo omnes differentias, vt habent esse cognitum per illum conceptum, seu potius ipsum conceptum; vt iam quæst. præcedente art. 2. not. 2. diximus. Et differentia hoc vltimo modo accepta transmutatur ad differentiam, vt est nomen primæ intentionis: nō à differentia quæ est species multitudinis; sed à principio formali, in quo talis relatio multitudinis fundatur, scilicet, à sensibili, corporeo, & rationali; quæ differentie etiam à parte rei appellatur, & primæ intentiones in concreto: itaque quælibet istarum est fundamentum, & principium formale differentie, quæ est relatio realis, & species multitudinis, ac abstractum quoddam; & à tali principio formali in concreto sumpto sumitur secunda intentio huius tertij prædicabilis: vnde in rationali fundantur duæ differentie: prima est relatio realis, quæ in se non denominat rationale, sed suum concretum, quod est differens; secunda est differentia intentionalis, & vnum concretum, quod denominat ly rationale, & subiectatur in ipso.

Alio modo significat relationem rationis; cuius species sunt differentia numero, & differentia specie, ac differentia genere; & vt sic est etiam

2. Argum.

Notandum

1. Conclus.

etiam

etiam quoddam abstractum, cuius concretum est differens, ut abstrahit à differenti numero, specie, vel genere: sicut enim vna intentio prima differt ab alia differentia, quæ est species multitudinis, ita & quælibet intentio secunda; ac per consequens differentia, ut est tertium prædicabile, & in concreto, differt ab alijs, sua differentia, quæ quidem in differentia fundat prædictam relationem diuisionis, quæ est abstractum quoddam: nam vna secunda intentio potest aliam secundam intentionem fundare. Et per hoc patet ad quartum argumentum in textu: quando enim dico: differentia differt, iam differentia sumitur in concreto, ut est tertium vniuersale: & ly differt est concretum dictum ab illa relatione, quæ dicitur differentia.

Titulus Articuli.

Ex quibus colligitur Titulus Articuli: non enim querimus de differentia vltimo modo dicta: an diuidatur prædicta diuisione: nam vt sic pertinet ad Metaphysicum rationalem; & certum est diuidi in differentiam genericam, specificam, & numericam: differentia enim sic in abstracto sumpta facit differre genericæ, specificæ, & numericæ, prout in has tres differentias diuiditur: & idem dico de differentia, prout est relatio realis: quare Titulus intelligitur de differentia propriissima in concreto, & vt est tertium vniuersale; ac quoddam commune, diffinitum per prædicari de pluribus in quale quid, ac diuisibile per differentiam infimam, & subalternam.

1. Conclus.

Dicendum primo, diuisio hæc differentiarum in intermediam, & vltimam, optime ad propositum assignatur: patet nam diffinitio differentiarum à Porphyrio tradita tantum intermediæ competit: ergo prius sciendum est dari talem differentiam: sed non potest sciri nisi per diuisionem: ergo.

2. Conclus.

Dicendum secundo, differentia in communi, vt tertium prædicabile est, sic diffinitur: est, quæ prædicatur de pluribus in quale quid. Hæc est Doct. vt supra: & debet esse communis, & patet quia hæc diffinitio datur per prædicari de pluribus, quod est diffinitio vniuersalis, quæ ponitur loco generis; & datur per quale quid, quod est propria differentia: differentia: ergo differentia optime per hanc diffinitionem diffinitur: tum etiam quia differentia in communi, vt abstrahit à differentia infima, & subalternam, est vnum per se diffinibile: ergo per aliquam diffinitionem sibi propriam: sed non potest esse alia conuenientior assignari, quam ista: ergo, &c.

3. Conclus.

Dicendum tertio, propter Porphyrium, quod licet diffinitio ab eo data tantum, vt sonat, conueniat differentiæ intermediæ: sicut prædicari de pluribus numero differentibus est diffinitio differentiarum vltimæ: nihilominus potest esse diffinitio differentiarum in communi: sic eam intelligendo: quod ly differentibus specie, explicatio nis gratia apponitur: vt de termino primo Priorum ait Philosophus, quod sit extremum propositionis: subiectum scilicet, & prædicatum: vbi essentialis diffinitio est esse extremum propositionis: reliquum vero est quoddam explicatio: sic in proposito, essentialis huius diffinitionis est prædicari de pluribus in quale quid: sed differen-

tibus specie est veluti explicatio: ac si dicitur prædicatur in quale quid, vel de differentiibus specie, vel numero; quæ sunt inferiora huius vniuersalis.

Ad primū.

Ad argumenta. Ad primum, quod est obiectio Doct. contra seipsum, respondeo eum ipso §. dici potest; quod rationis paritas non tenet: nam genus, & species, non differunt tantum per prædicari de pluribus differentibus specie, siue numero; sed per prædicari in quid, quod æquiuoce dicitur de illis: nam genus prædicatur in quid per modum partis materialis, & imperfectioris: species autem prædicatur in quid per modum totius quidditatis genus ipsum, & differentiam continentis: & ita, in quid, est æquiuocum illis: at vero prædicari in quale quid conuenit vniuersi utriusque differentia: quia vtraque tantum dicit partem essentialis formalem, quæ per ly in quale quid significatur.

Ad replicam contra hoc respondeo; negando antecedens: ad probationem dico, ly plura, esse vniuersum ad plura numero, specie, genere, & proportionem: nec tamen sequitur; vnum, eius oppositum, esse æquiuocum, sed solum sequitur, dici de vno numero, specie, genere, & proportionem, secundum quid, & simpliciter: dicitur enim de vno numero simpliciter, & de reliquis secundum quid. Quare licet de oppositis omnimode, vt de acuto, & obtuso, dulci, & amaro, sit verum dicere: quod si vnum est vniuersum, reliquum erit æquiuocum; non tamen erit hoc verum dicere de oppositis non omnimode, qualia sunt vnum, & multa: & ideo si multa sit vniuersum suis inferioribus; vnum poterit esse commune suis, secundum quid, & simpliciter: vt patet de homine, & non homine: & de eodem, & diuerso ex Doct. in primo, dist. 23.

Ad secundum. Dico: quod diuisio hæc est generis in species; vt supra de diuisione generis diximus.

ARTIC. II.

Quod sit differentia subijcibiles

Articulus iste non habet locum erga illos, qui negant hoc tertium prædicabile tantum ab alijs accidentaliter differre, & sub vniuersali in communi tantum secundario contineri: sed solum habet locum apud illos, qui sunt fere omnes oppositum asserentes, inter quos est prima, & celebris sententia affirmans differentiam, vt vniuersale, constitui per ordinem ad speciem, quam constituit. Ita Baldwinus in hoc cap. & alij; qui ex hoc sic differentia diffiniunt: est, quæ prædicatur de specie, quam constituit, in quale quid: probantque suam sententiam.

1. Sentent.

1. Argum.

Primo, de ratione vniuersalis est, ordo ad plura, vt plura sunt, vel formaliter, vel virtualiter: sed ordo differentiarum ad speciem est ordo ad plura virtualiter: quia species in virtute continet indiuidua, quæ formaliter sunt multa: ergo diff-

feren-

ferentia per hunc ordinem, immediate in esse vniuersalis constituitur.

Secundum

Secundo, prædicabilia constituuntur per ordinem ad sua immediata subijcibilia: ergo per immediatam prædicationem: quia prædicatio mediata, & secundaria, per accidens se habet ad rationem vniuersalis: sed differentia respicit immediate speciem à se constitutam; & illius indiuidua mediata: ergo per ordinem ad speciem in esse vniuersalis constituitur: minor probatur: differentia est actus formalis seipsa immediate speciem constituens: sed actus formalis primo, & per se, respicit illud, cui dat esse: igitur, &c.

Notandū.

Notandum: indifferentia diuersam esse rationem differentiarum, & rationem prædicabilis: nam differentia specifica potest considerari secundum actum, & officium, vnum ab alio distinguendis; & vt sic, dicitur differentia: aut secundum rationem prædicandi in quale quid: & vt sic vniuersale appellatur: & de ea, in hoc sensu intelligatur Articulus.

1. Conclus.

Dicendum primo, Differentia propriissima, vt tertium prædicabile est, essentialiter est vniuersale, tertianque illius speciem constituit. Hæc est Doct. in presenti, & communis apud omnes Recentes: & probatur: tum ex Porphyrio quia quæ species vniuersalis constituit, inter quas differentiam enūmerat. Tum etiam ex diffinitione vniuersalis, quæ differentia essentialiter conuenit: cum essentialiter multa inferiora respiciat, de quibus in quale quid prædicatur: vt rationale à Petro, & Ioanne, abstractum, in illis est, de illisque dicitur: ergo, &c.

2. Conclus.

Dicendum secundo, Differentia hanc vniuersalis rationem non fortitur per ordinem ad genus, quod dicitur, nec per ordinem ad speciem, quam constituit; sed per ordinem ad inferiora ipsius speciei. Prima pars est communis: & probatur: per illud constituitur aliquid in esse vniuersalis, per quod respicit plura, & de pluribus prædicatur: sed differentia infima per respectum ad genus, quod diuidit, nec respicit plura, nec de pluribus prædicatur: cum nec genus sit plura: aliud est enim esse vniuersale, aliud esse plura: nec prædicatur de illo: ergo per talem ordinem in esse vniuersalis non constituitur.

Secunda pars est contra primam sententiam: & probatur primo, quia vel illa species, ad quam refertur, est formaliter vna, vel potentialiter multa: si primum: ergo differentia, vt est vniuersalis, est vna in vno, & non vna in multis. Si secundum: ergo tunc talis species, vt terminat relationem Differentiarum, loco indiuiduorum sumitur: homo enim, vt potentialiter totum consideratur, nihil est aliud, quam indiuidua sua: ergo per ordinem ad indiuidua, & non per ordinem ad speciem, erit vniuersalis.

Secundo, ex Doct. in primo, dist. 8. q. 7. quodlibet vniuersale debet esse partitum in suis inferioribus (ideo Essentia diuina non est vniuersalis, quia indiuisa manet in tribus personis) sed differentia non est partita in specie, sed in indiuiduis: ergo non est vniuersalis per ordinem ad speciem, sed ad indiuidua.

Tertio, respectus differentiarum ad speciem ne-

est totius potentialis ad partes subiectiuas, quæ debet esse respectus vniuersalis: ergo per tale respectum non constituitur in ratione vniuersalis. Antecedens probatur: quia species non est pars differentia subiectiuæ: sed potius illius subiectiuæ adæquatum, cum quo reciprocatur: ergo respectus differentia ad illam non est superioris ad plura inferiora: ergo nec vniuersalis.

Tertia pars patet ex dictis: & deinde probatur: per ordinem ad illa, à quibus aliqua natura communis abstrahitur, debet in ratione vniuersalis constitui: sed differentia abstrahitur ab indiuiduis speciei, ergo per ordinem ad illa in ratione vniuersalis constituitur; probatur minor: vt natura sit vniuersalis, debet abstrahi ab illis, in quibus est; & quæ in ipsa natura conueniunt: sed sic se habent indiuidua speciei respectu vltimæ differentia, & e contra: nam solum Petrus, & Paulus, sunt, qui in forma rationali conueniunt; & respectu illorum, ipsa differentia, vt gradus communis est, habet vnitatem formalem incompletam determinantem: ergo, &c. Vnde quamuis differentia tam de specie, quam de indiuiduis in quale quid prædicatur; diuersus tamen est ordo, quem dicitur ad vtrumque, nam de specie prædicatur, vt formale prædicatum, & æquale; de indiuiduis autem vt vniuersale, & superius. Itaque primus respectus est prædicati ad subiectum: secundus vero superioris ad subijcibilia, & inferiora.

Not.

3. Conclus.

Dicendum tertio, Differentia, vt tertium vniuersale est, immediate respicit indiuidua speciei, tanquam subijcibilia sua: est communis in nostra Schola: & probatur: nam quodlibet relationum habet immediate suum correlatum pro termino: sed differentia, in ratione vniuersalis, est relatiuum quoddam rationis; & ex præcedentibus non respicit, vt sic, genus, nec speciem; ergo immediate respicit indiuidua speciei: de quo in solutione ad secundum.

Ad primū.

Ad argumenta: ad primum, nego maiorem, quoad secundam partem: nam relatio vniuersalitatis respicit plura, vt plura sunt formaliter, & non virtualiter: aliter enim differentia per ordinem ad genus esset vniuersale: nam genus etiam potentialiter respicit indiuidua speciei; vt supra vidimus: quod prædicti Opinantes non concedent.

Ad secundum.

Ad secundum concedo totum entymema: & distinguo minorem: respicit immediate speciem tanquam superius, seu prædicabile; nego: tanquam prædicatum respiciens subiectum suum adæquatum, concedo minorem: sed tunc non respicit plura, vt plura sunt simpliciter: quia species simpliciter est vna: etiam si sit vniuersale: vt in notabili diximus: est igitur vniuersale per ordinem ad indiuidua. Dices: ideo differentia prædicatur de indiuiduis; quia prædicatur de specie: ergo non potest immediate de indiuiduis prædicari.

Nota.

Respondeo: quod licet Physice, & realiter, ita sit; non tamen Logice, & quoad modum prædicandi: dupliciter enim dicitur aliquid de pluribus immediate prædicari: vno modo immediate ipsum, & sua subijcibilia, nihil mediet, quod talem habeat modum prædicandi respectu illorum; & hoc

& hoc modo tam differentia, quam proprium, immediate de indiuiduis prædicantur: quia nihil mediat, quod talem habeat modum prædicandi, scilicet, in quale quid. Alio modo aliquid prædicatur immediate inmediate causæ, vel subiecti: & hoc modo non prædicatur differentia immediate de indiuiduis: nam mediat species: ut probat argumentum. Exemplum huius patet in Auo, & nepote: Auuus enim immediate respicit nepotem: quamuis in ratione causæ, & Physice, mediet filius.

QVÆST. VI.

An differentia prædicetur in quale?

Risibile enim est mortale de homine prædicatum in eo quod quale est homo dicitur; sed non in eo quod quid est. Cap. eod.



VAERITUR de vltima particula secundæ definitionis differentie: scilicet, an differentia prædicetur in quale? quod non videtur: quia quid dicitur à quidditate: Differentia prædicatur quidditatem eius, cuius est: aliter non poneretur in definitione eius: igitur prædicatur in quid.

Item, si prædicatur in quale: igitur est qualitas: consequens est falsum: quia accidens est posterius substantia: differentia est prior specie.

Item, si prædicatur in quale: prædicatur denominatiue: consequens est falsum: quia quod prædicatur denominatiue, prædicat aliam essentiam à subiecto.

Item, si prædicatur in quale: prædicatur denominatiue: consequens est falsum: quia quod prædicatur denominatiue, prædicat aliam essentiam à subiecto.

Item, prædicatio denominatiua distinguitur contra prædicationem vniuocam; per Aristot. in Prædicamentis: differentia autem prædicatur vniuoce: sicut species, & genera; per Arist. in prædicamentis cap. de substantia in secundâ proprietate: ergo non denominatiue.

Ad oppositum est Porphyrius.

Dicendum: quod differentia prædicatur

in quale: quod offendit Author dupliciter. Primo quia ad quæstionem factam per quale, conuenienter respondetur per differentiam. Secundo, quia sicut est in composito reali; ita proportionabiliter est in composito rationis: in composito autem reali est aliquid habens rationem materiæ, & aliquid rationem formæ: igitur in composito rationis erunt aliqua illis proportionabilia: nam omnia, ex quibus fit vnum per se, alterum est, ut potentia, alterum, ut actus; per Arist. 8. Metaph. differentia autem non habet modum materiæ: quia non est indeterminata, nec in potentia; quæ propria sunt materiæ: ergo habet modum formæ: forma vero, & qualitas, & actus idem sunt: ergo habet modum qualis respectu speciei: & hoc est prædicari in quale.

Intelligendum tamen: quod sicut est actus duplex: primus, qui facit ens simpliciter in actu: & secundus, qui præsupponit ens in actu, & tunc facit ens in actu talis: sic est forma duplex, & qualitas duplex: & ita à qualitate duplici duplex est modus, qualis, differentia sumitur à primo actu, scilicet, à forma specifica, quæ est qualitas essentialis: & ideo prædicatur in quale essentiali, non accidentali: sicut alia duo vni uersalia sequentia.

Ad primum argumentum dicitur: quod ad prædicari in quid non sufficit, quod prædicet quid; sed quod prædicet quid, per modum quid: differentia autem prædicat essentiam per modum informantis, non per modum subsistentis.

Ad secundum dico: quod est qualitas, secundum quod dicitur 5. Metaph. sed non ut qualitas est vnum generalissimum; sed æquiuoce, ut forma, qualitas, & actus, sunt eadem transcendentia.

Ad tertium dico: quod consequentia non valet: quia oportet addere in antecedente; quod prædicat aliam naturam: & illud est falsum; & sine illo non sequitur consequens. Vel aliter; quod accepto quali accidentali in antecedente, valet consequentia: sed sic non ponitur antecedens verum: nam denominatiuum differt à principali solo casu; id est cadentia ad subiectum: & illud tantum conuenit his, quæ prædicantur in quale accidentale: quia quod prædicatur

Tex. com. 6. 9. & 15.

Tex. Com. 10.

tur in quale essentiali, non habet ipsum pro subiecto; ut accidens dicitur esse in subiecto.

Contra responsionem ad primum argumentum: si prædicet quid, & non per modum quid: igitur illud, quod prædicat, & modus, sub quo prædicat, sunt opposita.

Dico: quod opposita debent fieri circa idem: ideo quid, ut res, & quale, ut modus, non opponuntur: sed res rei, & modus modo: ut plurale significatum, & singulare, ut modus, non opponuntur: sunt enim simul in hac dictione, plurale, &c.

Summa textus simul & explicatio.

Questio hæc ex dictis in diuersis locis; maxime quæst. 7. de genere manet explicata: in qua Doctor maioris expressionis gratia, inquit, an prædicari in quale conueniat differentie: partem negatiuam probat triplici principali argumento: nam quartum solum est probatio falsitatis consequentis tertij argumenti; quod cum reliquis clarissime est formatum: & omnia sunt clarissima: quibus non obstantibus ait. Quod differentia prædicatur in quale essentiali: hanc probat autoritate Porphyrii, super quam præsentem quæstionem disputat; & præterea duabus rationibus ab ipso Porphyrio factis, quæ etiam clare sunt. Tandem soluit argumenta, & pro illorum solutione aduertit, qualitatem esse quid æquiuocum ad formam specificam, & ad generalissimum qualitatis: quare in præsentibus sumitur primo modo: & ita argumenta non concludunt: & quia cuncta patent in littera; pro hac quæstione dicta sufficiant.

Conclus.

QVÆST. VI.

An mortale sit differentia animalis rationalis diuisiua, & hominis constitutiua?

Assignant & hoc modo: Differentia est, qua differunt à se singula. Nam que secundum genus non differunt. Sumus enim animalia nos, & irrationalia: sed aditum rationale des-

iunxit nos ab illis, rationales sumus nos, & dij: sed mortale oppositum nobis distinxit nos ab illis. Cap. eod.



IRCA quartâ definitionem differentie quæritur, an mortale sit differentia animalis rationalis diuisiua, & hominis constitutiua? quod sic videtur per Porphyrium hic, & in capitulo de specie.

per Porphyrium hic, & in capitulo de specie.

Item: rationale non est vltima hominis differentia: ergo præter illam oportet addere aliam: illa autem non est nisi mortale. Probatio antecedentis: vltima differentia conuertitur cum definito: sed rationale non conuertitur cum homine: quia inest Intelligenti: ut hic dicit Porphyrius, & Aristote. Cap. 3. les primo ethicorum.

Dicitur: quod æquiuoce inest illis, & nobis.

Contra: per Arist. 2. de anima: potentia distinguuntur per actus: & actus per obiecta: obiecta autem actus intelligenti eorum, & nostri, idem est, scilicet, quod quid est rei materialis: saltem idem genere: ergo potentia naturalis vniuoca.

Item, si rationale sit vltima hominis differentia: ergo irrationale erit differentia vltima constitutiua alterius speciei tantum: quia differentie diuisiue additæ generi similiter species constitunt.

Ad oppositum: animal rationale non prædicatur in quid de differentibus specie: ergo non est genus: antecedens patet: quia Intelligentiæ, cum non sint substantiæ animatæ sensibiles, non erunt animalia; per locum à definitione: & præter nos, illæ sunt tantum rationales: ergo animal rationale non habet differentias diuisiuas.

Item, mortale non constituit speciem: probatio: differentia sumitur à forma. Vnde inest speciei, ratione formæ: mortale tantum, ratione materiæ: quia materia est principium, quare potest esse, & non esse, per Arist. 7. Metaph. hoc intelligitur tantum de materijs indiuidualibus, quæ non pertinent ad speciei

Tex. com. 33. & 37.

Tex. com. 22.